IOHANNES CHRYSOSTOMUS
Österreich, Ende 12. Jh.
Seite 130
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26104
Copyright: Admont, Benediktinerstift



& in inferno. Et lazarus similiter mala. Si quando egrotamus.
si pauperes sumus. si egrotatione conficimur. si frigore. si hos
piciu non habemus. letemur. gaudeamus. accipiamus mala in
uita nostra. Quando infirmitatis nos & egrotationis mag
nitudo premit. lazarum cogitemus. Et in his omnibus inter
nos & uos chaos magnum firmatum est. Chaos magnum fir
matum est. dissolui non potest. non potest agitari & concuti.
Uidere possumus transire non possumus. & nos uidemus quid fuge
rimus. & uos uidetis quid perdiderit. et nostra gaudia cumu
lant uestra tormenta. & uestra tormenta cumulant nostra gau
dia. Et ait illi. Rogo ergo te pater. Adhuc miserabilis patrem
uocat. Rogo ergo te pater. Si ante rogasses eum qui erat
pater noster. noueras patrem qui despiciebas fratrem. Et mittas
eum in domum patris mei. Vide peruersitatem. nec in ipsis pe
nis continet ueritatem. Uides ergo quid dicat. Rogo ergo te pater.
Ergo pater est abraham. & quomodo dicis mitte eum in domum
patris mei. Non oblitus es patris tui. Non es oblitus quia pater
ille te perdiderit. Quomodo illum habuisti patrem. propterea habes
quinque fratres. Quinque fratres habebas. uisum habebas. odoratum
habebas. saporem habebas. auditum habebas. tactum ha
bebas. his fratribus tu ante seruisti. istos habebas fratres.
Quando illos amabas fratres. lazarum fratrem amare non potas.
Recte non amasti lazarum fratrem. quia illos amabas fratres.
Fratres non amant paupertatem. Frater tuus erat oculus. frater tuus
erat auris. frater tuus erat odoratus. frater tuus erat sapor.
frater tuus erat tactus. Hii fratres tui amabant diuitias.